Copie.

Ill:mo Viro.
D. Henr: Ludov: Com:
Brienneo
Const: Hugenius à Zuylichem.
S. P.

Quod augurabar non ita pridem, cœpit modò accidere, me invito ac dolente: quæ meo Principi injuria fit, Ecce jam nunc Optim: Maximi Regis tui damno cedit. Inspice, te quæso, hanc epistolæ Laciniam, quam de vernacula vestratem fieri, ut nulli non populari tuo innotescat. Ijs vero præcipuè qui ad Reip. clavum admoti opportuna fandi tempora in potestate habent quibus omnem Aulam Vram ab id genus consilijs reducant quæ

Non sani esse hominis non sanus juret Orestes

Tibi, amice Ill:me nihil commendo, ne te videar in viam æqui boniq revocare, quam insistis tu quidem tuopte ingenio, paterno nimirum et avito. Experire tamen, si commodum est, ecquid hæc schedula vel Regi exhibita aliquâ nobis proficere valeat, qui ut nosti nihil ambimus quam quod ratione nixum est, et humano denique divinoq juri undiquaq consentaneum, Vale meum decus et me ama, Lutet. III. Non. quint. CIↃ IↃCLXII.

[T]ellerio et Lœonæ meo singula [e]xemplaria ejusdem hujus epistolij [G]allici mitto, ecquid illo commoti fuerint, [a]n, quod cupiam, permoti, ex te scire valde velim.

© Koninklijke Verzamelingen, Den Haag
Archief Constantijn Huygens, G1-6.1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5856

© Koninklijke Verzamelingen, Den Haag
Archief Constantijn Huygens, G1-6.1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5856